



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Clemens Papa VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

A publicis affigenda, quæ perinde ipsos ardeant, ac si eis personaliter intimatæ fuissent faciendi: ac contra quousque cuiusque status, gradus, ordinis, religionis, vel conditionis, seu præminentia fuerint, & quacumq; Ecclesiastica seu mundana dignitate præfulgeat, vel exemptione, ipsius, Martini; & aliorum erroneorum dogmatorum sectatores, sequaces, fautores, defensoresq; ac illis auxilium, consiliū vel fauorem directè, vel indirectè publicè vel occultè præstantes inquirendi, & procedendi, ac huiusmodi labe, & alijs hæresibus infectos capiendi, & carceribus mancipandi, ac iuxta canonicas sanctiones, & Sanctorum Patrum instituta, prout qualitas excessuum exegerit, vel conscientia vestra expedire visum fuerit, puniendi, & penis debitis plectendi, & ad cor redire nolentes, & dictæ Ecclesiæ communionis, velut putrida membra separatos, & diuisos, ac damnationi aeternæ cum Satana & Angelis eius addictos, ac perpetuo infames, ac intestabiles esse, nec non bona eorum qualibet mobilia, & immobilia cuiusque fidelium liberè & licitè inuadere, occupare & sibi acquirere licere, personas eorum captiuitate, & in perpetuam seruitutem adducere corpora eorum postquam defuncta fuerint sepultura Ecclesiastica carere, & debere, decernendi, denunciandi, & declarandi, & qui ad veritatis lumen redire, & huiusmodi hæreses abiurare voluerint postquam errorem suum deposuerint, idque humiliter petierint, si alijs relapsi non fuerint, recepta ab eis prius abiuratione hæresis & errorum huiusmodi legitime, & publicè facienda præstandoque per eos iuramento, quod talia deinceps non committent, nec talia, vel alia his similia committentibus, sed adherentibus, consilium, auxilium, vel fauorem per se, vel alium, seu alios præstarent, ab omnibus & singulis excommunicationis, & interdicti alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris & penis etiam in litteris hæc recordationis Leonis Patris X. prædecessoris nostri contra dictum Martinum editis continentis, quas præmissorum occasione quomodolibet incurrisserint, ac ab huiusmodi delictis excessibus, & criminibus, nec non alia in forma Ecclesiæ consueta absoluedi, & super irregularitate ꝑ propterea quomodolibet contracta dispensandi, omneque inhabilitatis, & infamiae maculam, siue notam penitus abolendi eosque rehabilitandi, & ad nostrum, & eiusdem sedis gremium, nec non gratiam, & benedictionem restituendi, & reponendi, omniaque & singula alia quæ ad huiusmodi pestem reprimendam & radicibus extirpandam necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, ordinandi, coercendi, & exequendi, ac auxilium brachij secularis si opus fuerit inuocandi: Et ad præmissa omnia, & singula, si & quando expedire vobis, & alteri vestrum visum fuerit, viros aptos, & idoneos cum simili, vel limitata potestate sub delegandi, & deputandi, ipsosque quoties opportunum vobis, & alteri vestrum videbitur reuocandi, ac loco ipsorum alios similiter deputandi, auctoritate Apostolica plenam & liberam potestatem, auctoritatem, facultatemq; concedimus per præsentem: non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ idem Leo prædecessor in suis litteris voluit non obstat, & quæ pro expressis haberi volumus, ceterisque contrarijs quibuscumque, etiam si in eis essent clausula aliqua derogatoria, derogatoriarum, & de quibus oporteret fieri specialis & indiuidua mentio, & de verbo ad verbum, quas pro expressis haberi volumus & eis derogatum esse censemus & intendimus.

† Hæc facultas per aliorum pontificum referipta videtur nunc esse sublata Di. rect. par. 3. q. 126.

Datum Viterbij sub annulo piscatoris die 13. Iulij. 1528. Pontificatus nostri anno quinto.

CLEMENS PAPA VII.

D Dilecto filio Paulo Buiigelle, totius ordinis fratrum Prædicatorum Vicario generali, in Ferrariens. & Mutinens. ciuitatibus & diocesisbus hæretica prauitatis Inquisitori.

Inquisitores & eorum vicarij procedant contra quoslibet religiosos de hæresi diffamatos, aut suspectos, & erroneas propositiones prædicantes, non obstantibus quibuscumq; privilegijs: Inquisitores vicarios sibi possunt instituere annorum triginta: occultos hæreticos absoluunt: super irregularitate ex hæresi vel Apostasia contracta dispensant: quamlibet aliam censuram ecclesiasticam tollunt: irregularitates cruce signatorum clericorum amouent: cruce signati morientes tempore interdicti, ecclesiastica sepultura donantur: ydem multa alia privilegia consequuntur, quæ hic enumerantur, & vetera eisdem, per alios Pontifices concessa confirmantur, & innouantur.

Dilecte filij, Salutem & Apostolicam benedictionem.



M sicut ex relatione pro parte tua nobis facta, cum graui nostræ mentis molestia innouit, in diuersis Italia partibus adeo pestifera hæresis Lutherana, nõ tantum apud seculares personas, sed etiam Ecclesiasticas & regulares, tam Mendicantes, quam non Mendicantes inualuerit, vt aliquando nonnulli ex eis suis sermonibus & verbis, & (quod deterius est) publicis prædicationibus tali labe plerosq; inficiant, & Christi fideles, sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ viuentes, & præcepta eiusdem Ecclesiæ seruantes non leuiter scandalizent in heresum augmentum, pusillorum scandalum, atque Catholi-

Edita anno Domini 1530. Ex lib. priuileg. ord. fra. Prædic. fol. 201. pag. 2.

Statu Hiero-
nymus in epist.
Pauli ad Gala.
2.5.

Symet. 3. par.
9. 18.

† vide super
Directorio
par. 3. q. 42.

† Symonius in
Directorio par.
9. q. 126.

Crucesignato-
rum privilegia.

Omnia Inqui-
sitorum privile-
gia confirma-
tur.

Catholicæ fidei non mediocre detrimentum. Nos attendentes Arrium vnâ modicam scintillâ fuisse in Alexandria: sed quoniam non mox oppressus est, grande per totum orbem incendium ex suscitasse, ac cupientes huic veneno, hæresique nefariæ, & labi pestiferæ, quam supremis exingui affectibus anhelamus, omni salubri, quo possumus remedio occurrere, & ne huiusmodi morbus exerceat vterius, sed operante Domino passim euellatur, salubriter prouidere; tibi, necnon omnibus & singulis alijs dictæ hæreticæ prauitatis Inquisitoribus ex ordine fratrum Prædicatorum, maxime congregationis vtriusque Lombardiæ per vniuersam Italiam constitutis, & deputatis, ac constituendis, & deputandis, eorumque vicarijs, in virtute sanctæ obedientiæ, & in remissionem peccatorum vestrorum directè præcipiendo mandamus, quatenus omnibus & singulis etiam Carmelitarum, & aliorum ordinum Mendicantium religiosi, vel non mendicantibus de huiusmodi peste damnatis, aut alter suspectis præcipuèque tales errores in suis sermonibus, verbis, seu prædicationibus disseminantibus per censurâ Ecclesiasticam, appellatione postposita super huiusmodi, ac qualibet alia hæresi silentium imponatis. Et postquam per vos siue Vicarios vestros, aut vestrum vel eorundem viciorum aliquos, siue aliquem, præsidentes monasteriorum, conuentuum, & aliorum locorum, vbi hæreses huiusmodi vel errores seminati forent, aut inibi propinquorum, præmoniti fuerint nisi tales infra mensem a die admonitionis computandum, debita prouisione remedia eû effectu adhibuerint, ac digna pœnitentia castigauerint, de quibus admonenti fidem facere teneantur: & si prædicates ipsi talia prædicarent, admonitionem præsentis vicinioris conuentus, vel loci respectiue facere sufficiat contra huiusmodi exemptos vsq; ad sententiam diffinitiuam, ad quam ferendam (si fuerit condemnatoria) ¶ cum consensu ordinarij procedatis. Contra Carmelitas tamen confestim possitis et ad capturam dum prædicant populo, vel publice disputant erroneas conclusiones; aduersus non exemptos verò de tali labe diffamatos aut suspectos, veluti contra alios hæreticos (prout iura disponunt) liberè inquitatis atque procedatis. Decernimus insuper, vt vestros vicarios siue commissarios instituere valeatis, viros vestra sententia prouidos, aptos, & idoneos, dum modo ætatis trigessimum annum attigerint. Vobis etiam ac vicarijs præfatis extraiudicialiter Lutheranos occultos & non Inquisitos per ordinarium siue alios iudices, ac alios quoscunque hæreticos, fautores, credentes, defensores, & receptatores, necnon & a sancta fide apostatas, eosque qui contra inhibitionem sedis Apostolicæ, tenuerunt vel legerunt libros Martini Lutheri vel aliorum, aut eidem siue eiusdem quomodolibet adhererunt (si ad cor reuersi pœnitentes id humiliter petierint) postquam hæresim, qua polluit & infecti erant, abiurauerint, medio iuramento promiserint de cætero ab huiusmodi hæresi penitus abstinere, absolueni, illisq; pro præmissis pœnitentiam iniungendi salutarem, eosque ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ restituendi, & reduendi, & cum clericis secularibus, ac personis religiosis cuiusvis ordinis, status, & conditionis, super quæuis irregularitate, ¶ quàm tam ex hæresi quàm ex Apostasia à fide, seu etiam ex eo quod censuris & pœnis ecclesiasticis tam a iure, quàm ab homine quauis occasione vel causa latis, & promulgatis, quomodolibet incurrerint, aut ligati seu innodati diuina celebrando contraxerint, ac etiam super irregularitatibus, quas clericis cruce signati sententijs, censuris, & pœnis a iure vel ab homine etiam quauis occasione vel causa latis ligati, seu irretiti, ac etiam ex eo quod in locis ecclesiastico interdico suppositis missas & alia diuina officia (non tamen in contemptum clauium) celebrauerint, inchoauerint, dispensandi. Et quia Inquisitores præfati in ciuitatibus seu alijs locis societates seu confraternitates ad extirpandum hæreses, ad capiendum hæreticos (iuxta concessionem à Romanis Pontificibus eis factâ) instituunt, & in eis confratres recipiunt, qui in eorum receptione votum in eorundem Inquisitorum seu viciorum manibus emittunt, ac voto se astringunt, dum pro parte ipsorum Inquisitorum & viciorum ad capiendos ipsos hæreticos requisiti fuerint, auxilium, consilium, & fauorem præstare, & eis tempore cuiusvis localis interdicti diuini interesse, & eis decedentibus eorum corpora ecclesiasticis sepulturæ (sine tamen funerali pompa) tradi possint, dum modo causam non dederint huiusmodi interdico, nec eis id contigerit specialiter interdicti: ipsisque cruce signatis per ipsos Inquisitores seu vicarios dum in eorum manibus votum hæreticos ipsos persequentes remiserint, vt semel ex tunc, & in mortis articulo a referuatis, & in bulla Cæne Domini contentis casibus, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, aut propositum confitendi debito tempore per Ecclesiam statuto habuerint, absolui, ac indulgentia plenaria, & omnium peccatorum remissio huiusmodi concedi: eisque vt singulis diebus anni quinque altaribus ecclesiæ (si toti ibi fuerint) aut vnum loci in quo eos esse contigerit, psalmum vnum genibus flexis recitando, vel quinquies orationem Dominicam & toties salutationem Angelicam in quolibet altari, indulgentias stationum Vrbis consequi valeant, etiam concedendi & elargiendi, auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam & facultatem concedimus. Et nihilominus concessionem per Romanos Pontifices (foran) viuæ vocis oraculo, seu aliâs eisdem Inquisitoribus & vicarijs fratrum seu licentiam concessam huiusmodi, approbamus & confirmamus, ac omnia & singula alia privilegia, exemptiones, immunitates, gratias & indulta, quibuscunque Inquisitoribus alijs hæreticæ prauitatis quorumvis ordinum & congregationum, & officio Inquisitionis huiusmodi in quibuscunque regnis & provincijs, siue locis ac terris, hæctenus deputatis concessa, & in posterum concedenda vobis communicamus, atque iam vobis aliâs concessa, approbamus, confirmamus, & innouamus, vniuersosque & singulos iuris & facti defectus (si qui forsan in illorum concessione

Accessione interuenerint)supplemus. Mandantes omnibus & singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis, & episcopis, necnon dilectis filiis eorundem archiepiscoporum, & episcoporum vicarijs in spiritualibus generalibus, quatenus presentes litteras & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte uestra, seu uicariorum uestrorum prædictorum, aut alicuius uestrum siue illorum desuper fuerint requisiti solenniter publicantes, ac uobis in præmissis efficacia defensionis præsidio assistentes, faciant presentes litteras & in eis contenta huiusmodi, firmiter obseruari, uosq; illis pacifice gaudere. Non permittentes uos desuper per quoscunq; quoquo modo, indebite molestari: contradictores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis. Nô obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictorum ordinum etiam iuramento & confirmatione Apostolica roboratis, statutis & consuetudinibus, necnon priuilegio quod incipit: Sacer ordo, per fel. rec. Sixtum Papam IIII. prædecessorem nostrum ordini Carmelitarum concessio fortassisque post alijs communicato, & quibuscunque alijs priuilegijs & indultis Apostolicis illi ac quibuscunque alijs, etiam Mendicantium ordinibus etiam sub quibusuis tenoribus & uerborum formis, ac cum quibuscunque clausulis & decretis concessis, approbatis & innouatis, quibus omnibus (tenores illorum ac si de uerbo ad uerbum infecti forent præsentibus, pro sufficienter expressis habètes) ac vice specialiter & expresse derogamus, necnon quibuscunque exceptionibus, oppositionibus, & appellationibus, forsân desuper faciendis & interponendis, quæ aduersus præmissa nullatenus suffragari posse uolumus contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus communiter uel diuisim ab Apostolica sit sede indultum quòd interdicti, suspendi, uel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & exprellam ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mentionem, Decretentes præsentium transumptis, manu publici notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio & extra ad habendam fore, quæ isdem præsentibus adhiberetur si forent exhibite uel ostensa. Datum Bononiæ sub annulo piscatoris, die xv. Ianuarij M. D. XXX. Pontificatus nostri anno septimo.

PAVLVS PAPA IIII.

Ad futuram rei memoriam.

Inquisitores hæreticę prauitatis procedere possunt contra eos qui asserunt et prædicant propositiones suspectas, scandalosas, periculosas, erroneas, hæresim sapientes, à fide catholica quauis ratione discrepantes, & Christiana pietati, ac bonis moribus non conformes; non obstantibus quibusuis priuilegijs & exemptionibus, aut quauis personarum qualitate & dignitate, Episcopis exceptis. Qui uero id impediuerint, grauiter coercentur; nam ordinarij a dministratione suarum dignitatum priuantur, & gubernatores terrarum bonis suis spoliantur, & excommunicantur.

DN Apostolicis culminis specula diuinæ gratiæ munere collocati, nihil magis esse nostri officij duximus, quam sedulo ac diligenter omnia circumspicere, quæ catholici nobis committi gregis custodiæ, ac conseruationi conferant, illamque in primis curam suscipere, & quæ materiam scandali præbere possent penitus succidatur, ac radicatus extirpentur, nec ea usque pullulare sinantur.

Edita anno Domini. 1543.

Cum itaq; sicut accepimus in nostræ Bononiæ ac Mediolani, & quamplurimis alijs Italiæ ciuitatibus & locis, nonnulli sæculares ac etiam, & religiosi prætextu quorundam indultorum, ac concessionum seu priuilegiorum & exemptionum, a sede Apostolica per ipsos obtentorum, & ab Inquisitoribus hæreticę prauitatis, in eisdem ciuitatibus & locis per sedem Apostolicam, aut illius auctoritate deputatis, illorum iurisdictione exemptos, prætendentes, varias propositiones scandalosas & erroneas, ac piarum mentium offensiuas, & quandoq; etiam hæresim sapientes, ac catholice fidei minus consonas, Christianæque pietati & bonis moribus minime conformes publice proponere ac disputare, & pro uiribus sustinere, necnon populis prædicare, non sine magno Christi fidelium animarum periculo, ipsiusque fidei detrimento, & totius religionis opprobrio temere audeant & presumant. Nos qui desiderâter in uotis gerimus, ut fides præfata nostris prosperetur temporibus, & prauitas hæretica de finibus fidelium extirpetur, attendentes non ideo ab Apostolica sede priuilegia & exemptiones concedi solitas esse, ut per scandala & fidei diminutio generentur, sed potius ad ea tollendum & ipsam fidem auendum, uolentesque ne de cetero per propositiones & prædicationes huiusmodi in perditionem (quod absit) animæ fidelium prolabantur, obuiate, & ne exemptionum prædictarum prætextu ualeant talium præsumptores in eorum tam detestabili temeritate perdurare, eorumque iniquitas remaneat impunita, morbo huiusmodi necessariam adhibere medelam, Motu proprio & ex certa nostra scientia, uolumus, statuimus, & ordinamus, quòd Inquisitores præfati in tota Italia, & in insula Chij deputati, & in posterum deputandi contra omnes & singulos tam sæculares quàm religiosos, quorumuis ordinum etiam Mendicantium professores, cuiuscunque sexus, gradus, status, conditionis, dignitatis & præminentię, non tamen Episcopalis f existant, qui propositiones

Ex Archiuijo Inquisitionis Bononiensis. & bibliotheca nostra.

¶ Quia Episcoporum delicta in causa hæresis Apostolicæ sedis referuntur. c. Inquisitores, de hæret. lib. 6.